





1762, 2  
181  
**DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RALIS IVRIDICA  
DE  
MODO ADQ<sup>V</sup>IRENDI**  
PER  
OCCUPATIONEM BELLICAM  
DE QVE EO QVOD CIRCA EVM  
IVSTVM EST.  
\* \* \* \* \*  
QVAM  
DEO O. M. ADSP<sup>I</sup>RANTE  
CONSENSV ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM  
ORDINIS  
P R A E S I D E  
**DN. CONRADO WILHELMO  
STRECKER,**  
I C T O

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIO REGIMINIS, FACVL<sup>T</sup>. IVRID. ASSESS. SENIORE,  
PROF. DECRETAL. PVBL. ORDINAR. CIVITATIS ERFORD.  
CONSULE PRIMARIO, NEC NON PRÆFATÆ  
FACVLTATIS DECANO,

PRO CONSEQUENDIS SVMMIS IN VTRO QVE  
IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS  
ERVDITORVM EXAMINI  
H. L. Q. C. DIE V. APRIL CI<sup>OC</sup>CCLXII.  
SVBMITTIT

CHRISTIANVS CHRISTOPHORVS THILO  
TENNSTADIENSIS.

\* \* \* \* \*  
ERFORDIAE, LITTERIS NONNIANIS, ACAD. TYPOGR.



DISSERTATIO MAGISTRALIS IURIDICA  
MODO ADGARRENDI  
OCASATIONEM REFLIGAM  
DEGAE HO QOD CEGATVM  
VASTAVM EST.  
CONSENIA LEFASSTRIS HARVE CONSULTORVM  
ORDINIS  
DI CONRADUS ALHELMUS  
STRECKER  
IOTO  
PROCONSULANTIBVS SYMMIS IN ALTBURG  
ARCHEONOMIA ET MELITICA DOCTORIBVS  
HUGO DE AURELIO DICCIUS  
CHRISTIANVS CHROTHORIAS THIN  
TENSTADTINVS  
P

MÄYE MINGIA VIRO

PRÆNOBILI CONSULTISSIMO AMPLISSIMO  
ATQVE DOCTISSIMO

D O M I N O

ANDREÆ WAGNERO

JCTO CELEBERRIMO

DYNASTÆ IN ZWEY-NAVENDORFF  
POTENTISSIMI REGIS POLONIARVM ET SAXONIÆ ELECTORIS  
A CONSILIIS COMMISSIONVM  
CIRCVLI LIPSIENSIS

NEC NON

VRBIS LIPSIÆ PRÆFECTO

PATRONO SVO MAXIMO OPERE  
DEVENERANDO

HANC INAVGVRALEM DISSERTATIONEM SVAM

IN

PERPETVI CVLTVS SIGNIFICATIONEM

ET

ANMI DEVINCTI PIGNVS

DAT DICAT DEDICAT

ATQVE SIMVL


PRO EIVS INCOLVMITATE SALVTE VITA LONGÆVA

PERPETVAVQUE FELICITATE VOTA

SINCERA NYNCVPAT

CVLTOR OBSERVANTISSIMVS

CHRISTIANVS CHRISTOPHORVS THILO.



DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVG<sup>V</sup>RAL<sup>I</sup>S IVRIDCIA  
DE MODO ADQVIRENDI DOMINIVM  
PER OCCUPATIONEM BELLICAM,  
DE QVE EO QVOD CIRCA EVM IVSTVM EST,

§. I.

E<sup>t</sup>hi priuata nulla sint natura, vt CICERO monet 1), vel vt HORATIVS canit 2):  
Propriæ telluris herum natura nec illum  
Nec me, nec quenquam statuit - -  
sed principio omnia communia & indiuisa omnibus fuerint, veluti vnum cunctis patrimonium esset 3), vel vt Poeta 4) id exprimit:

Non domus vlla fores habuit: Non fixus in agris  
Qui regeret certis finibus arua lapis:

A 2

1) L. I. de Offic. Cap. VII.

2) L. II. Satyr. II. vers. 129.

3) v. IUSTIN. Histor. L. XLIII. Cap. I. n. 3.

4) TIBULLVS I. s. 43.

tamen multi postea, vbi homines pertasi incommodorum, quæ statum naturalem comitabantur, a communione antiqua recedere maluerunt, sunt reperti modi, quibus proprietas induci, ac introducta varie in alios transferri, sive res, quatenus in priuatos earum proprietas cadit, singulis adquiri possint. Per communionem vero, quæ olim sub infantia orbis obtinuit, nihil hic aliud intelligimus, quam statum illum, quo res nondum in proprietatem singulorum venerant, sed ad omnia omnibus æquale ius erat. Qualem statum frumenta sunq; negare, decepti falsa notione communionis. Dominium autem sive proprietas in sensu stricto sat commode, si a priori id definias, definitur: ius in re, vi cuius res corporalis nostra est. Sin a posteriori id definire malis, est ius de re corporali pro arbitrio disponendi, eamque vindicandi. 5) Verba, quæ ab aliis vulgo adduntur: nisi lex vel conuenio vel testatoris voluntas obstat, consulto omisimus, quia ad dominium limitatum pertinent. In definitione vero res quasque in sua perfectione definire conuenit.

## §. II.

Tralatitium est, modos adquirendi secundum tradita Iuris Romani, ratione originis, distingui in *naturales & ciuiles*: quarundam rerum dominium, ait *Imperator Iustinianus* 1), nanciscimur iure Naturali, quod appellatur ius Gentium, quarundam vero iure Ciuali. *Naturales* vocamus, qui naturali quadam ratione nituntur, & sine ulteriori determinatione in ciuitatem recepti sunt: *ciuiles* vero, qui ex dispositione legis Ciuilis determinationem et formam acceperunt. Neque enim putandum est, modos adquirendi ciuiles quos

voca-

5) Conf. THOMAS ad HVBER. Prelect. ad J. Tit. de Rer. Diuis. n. 23.  
1) In §. XI. J. de Rer. Diuis.

vocamus, utpote donatio mortis causa, legatum, Vt si capio, Iuri Natur. penitus ignotos esse; sed id solum innuitur, hos modos, quatenus ut modi adquirendi considerantur, et ut tales viam suam exserunt, efficaciam suam vniue exlege Ciuiili sumere 2). Circa diuisiōnem modorum naturalium Dd. varie admodum procedere animaduertimus. VINNIUS 3) eos ad duo summa genera reuocatos vult: Quidquid, ait, Iure Gentium nobis adquiritur, id vel factio nostro seu occupatione adquirimus, vel vi & potestate rei nostra. Vis vero, p̄git, ac potestas rei nostra duplex est; ut quidquid ex re nostra nascitur, nostrum sit; ut quæcunque rei nostra accedunt, rem nostram eiusque conditionem sequantur. Quorum alterum generali nomine facturam appellat, alterum accessionem. Verum recte alii 4) hanc partitionem parum concinnam, nec opera sp̄tium esse iudicant. Paulo aliter procedit VULTEIUS 5), qui horum modorum quoque genera duo facit; unum ex rei adprehensione, alterum ex rei accessione. Prius illud genus, ait, in duobus est, in occupatione & traditione, posterius hoc in accessione & specificatione. Alia adhuc via incedit STRAUCHIUS 6.) Sed nec haec partitiones Ictorum plausum tulerunt. Plerique itaque cum GROTIUS & PUFFENDORFIO hos modos in originarios & deriuatiuos, & illos iterum in simpliciter tales & secundum quid

## A 3

ta-

- 2) Vide præclare de diuisione hac differentem KVLPIS, in Collat. Philosophiae Grotiana cum princip. Juris Rom. §. 2, in Diff. Volum. p. 320, add. HAHN. ad WESEM. Tit. de Adquir. Rer. Dom. n. 8.
- 3) In Commentar. ad §. 11. J. de Rer. Div.
- 4) v. HEINECCIVS in notis ad VINN. cit. l. HVBER. Praelect. ad J. Tit. de Rer. Div. n. 17.
- 5) In Juriſprud. Romana L. I. Cap. 70.
- 6) In Differt. Justinian. VI, th. 27.

tales, sive principales & accessorios dispescunt<sup>7)</sup>). Verum nec diuisionem hanc, vt ut pro insituto GROTTII & Doctorum Juris Naturæ præclaram, nobis in Juris disciplina expedire, recte monet HUBERUS<sup>8)</sup>). Nam primo diuisio modorum in principales & accessorios non recte pro subdiviusione originariorum habetur, cum ad deriuatiuos aque pertineat, e. g. emto vel legato mihi grēge, vel re frugifera qualibet, id quod post accedit, mihi etiam adquiritur<sup>9)</sup>). Secundo, diuisio ipsa in modos originarios & deriuatiuos ad acquisitiones tam ciuiles quam Juris Gentium pertinet, & præterea ita comparata est, vt singulos modos diuellere possit: id quod HUBERUS latius monstrat.

## S. III.

Nobis ergo cum HUBERO<sup>1)</sup> potius placet simplex horum modorum enumeratio, quam anxie excogitata & fallax subdivisio: in eo tamen ab HUBERO recedimus, vt non sex modos Juris Gentium adquirendi, sed, ut vulgo fit ab aliis, tres duntaxat statuamus, nempe occupationem, accessionem & traditionem. Specificatio enim, commixtio & fructuum perceptio commode ad accessionem referri possunt, nec quidquam causa adparet, quare cum HUBERO nouas inde & peculiares acquisitionum causas speciesque efformare necesse sit. Specificationem quidem ille<sup>2)</sup> ideo pro accessionis specie sive exemplo

haberi

<sup>7)</sup> v. HEINECC. Elementa secundum ordinem Institut. §. 341. §. passim. Dd.

<sup>8)</sup> cit. l. n. 17.

<sup>9)</sup> Hoc innuere etiam puto TITIVM Observ. Puffend. 290, & Observ. Lauterb. 1017.

<sup>1)</sup> cit. Tit. de Rer. Div. n. 17.

<sup>2)</sup> cit. Tit. n. 43, in pr.

haberi non vult, quia accessio duas res, quarum una sit principalis, supponat, at in hoc exemplo unam solum rem esse. Verum salua natura accessionis specificationem pro eius exemplo haberi posse putamus. Licet enim una res hic solum adsit, Icti tamen Romani eam duplici respectu considerabant, primo ratione materia, & deinde ratione forma. Hinc descendebant illorum altercationes, utrum materia forma, an forma materia cedere debeat, et utra pro principali habenda sit; Sabinianis pro materia, Proculianis pro forma contendentibus. Accessio ergo hic sit formae ad materiam. Porro fructuum perceptionem HUBERUS<sup>3)</sup> ideo ex numero specierum accessionis extrudere intendit, quia fructus solum accessiones essent respectu ad Dominum soli habito: iam in Institutionibus<sup>4)</sup> doceri, quomodo ex fundo alieno adquirantur, ergo hoc ad accessionem referri non posse, cum si accessionis vis solum spectetur, fructus a b. f. possessore percepti, non ipsi, sed ei, cuius res principalis est, Domino soli cedere deberent. Licet vero naturaliter fructus ut accessio ipsius fundi considerari debeant, & consequenter ad dominum soli pertineant; hoc ipsum tamen Ictis veteribus ansam dedit disputandi, quid in b. f. possessore obtinere debeat, quem placuit pro Domino haberi, & proinde iisdem iuribus, quibus verus dominus, gaudere. Fructuum perceptio itaque hic consideratur ut accessio quasi dominii, quod ex b. f. oritur. De commixtione cum HUBERUS rationes suas non protulerit, quare eam accessioni accensere nolit. nec nobis, quod regramus, inuenire labor incumbit.

§. IV.

3) cit. Tit. n. 46 in pr.

4) §. 31 de Rer. Div.

## S. IV.

Cum itaque inter modos adquirendi naturales ex sententia vulgo recepta; sit etiam occupatio, antequam ultius progedimur, necesse putamus inquirere, an de Jure Nat. occupatio sola vere etiam sit modulus adquirendi? Cum per modum adquirendi intelligi constet, factum illud, mediante quo dominium immediate consequimur, cumque porro occupationem vocari adprehensionem rerum nullius animo sibi habendi factam, certum sit, sua sponte patet, quæstionem propositam hoc redire: An factum adprehendentis rem communem cum voluntate sibi habendi conjunctum hoc operari possit, ut per hoc res adprehendentis fiat, isque omnes alios non solum ab eius usu excludere, sed & rem forte amissam, prout dominii indoles fert, recuperare & vindicare iure possit? Si communem Interpretum scholam sequimur, dubitari non debet, illam vere esse modum adquirendi, occupantemque nancisci dominium contra omnes, etiam ultra possessionem, valiturum. Verum recte intercedunt alii, & rationibus non spennendis occupationem iustum titulum rem communem sibi vindicandi tribuere negant. Cur enim in rem communem ius nobis tribueret voluntas nostra in præjudicium reliquorum, & cur adprehensio sola rei communis ius reliquorum sine eorum consensu tolleret? Hoc adprehensionem rei communis efficere posse largimur, ut quam diu nos possidemus, aliis hanc rem nobis eripere non possit, sed hoc ius possidendi & retinendi ultra detentionem non extenditur, sed simulac rem detinere desimus, ea in antiquam causam recedit, & ab alio iure iterum adprehendi & possideri potest.

test. Verosimilius igitur videtur cum GRIBNERO 1) statuere, occupationem solam modum adquirendi haud esse, sed præterea, si per eam dominium adquiri debet, etiam pactis & conuentionibus opus esse, non quidem vniuersalibus a toto humano genere initis; talia enim non immrito pro figmento habentur 2), sed particularibus, quibus cum proximis quibusuis de duratura etiam post amissam possessionem proprietate possidentes conuenerunt; nam a remotioribus minus erat periculi. Hæc si ita statuimus, necesse non est cum BYNKERSHOEKIO 3) eo prolabi, vt omne dominium Juri Ciuali duntaxat adscribamus. Confirmat hanc sententiam egregie doctrina vulgaris & usus acquisitionis bellicæ. Hæc enim vulgo ad occupationem refertur, (quam recte, infra dicetur,) et tamen peritiores omnes qui iuste philosophantur, fatentur, hanc acquisitionem tuac demum plene firmari & consolidari, vbi in pacis conditionibus conuentiones desuper & renunciations accesserint; manifesto arguento, solam adprehensionem ius nullum tribuere firmum & ultra possessionem duraturum.

## §. V.

Occupationis species vulgo tres feruntur, venatio, inventio & acquisitionis bellica. Nos in præsenti, prioribus missis, de posteriori solum solliciti sumus. Describitur hæc, quod sit illa occupationis species, qua personæ & res

B ho-

1) In Princip. Jurispr. Natural. L. I. Cap. VI. §. 6. & diss. de eo quod iustum est circa feras ex custodia dilaps. C. I. §. 2.

2) BYNKERSHOEK de Dominio maris Cap. I. TITIVS de Dominio ultra possessionem durante §. 22.

3) cit. diss. per tot. & maxime Cap. I.

hostium adprehenduntur & adquiruntur. Merito primo loco anquirere nos decet, an adquisitio haec quæ bello sit, iure speciebus occupationis accenseri possit? Communis Doctorum schola cum PUFFENDORFIO & GROTIOS hoc citra hæstationem affirmsat, idque ex eo fundamento, quia non solam ex principiis Romani Juris, tales res hostium pro rebus nullius habeantur, sed & ex principiis Juris Natura in bello res hostium in ordine ad alium hostem, velut dominio vacua reddantur: sufficere itaque solam adprehensionem, prorsus utrū alias ad rei vacua dominium adquirendum. De principiis Juris Roman. heic litigare nolumus. Videntur utique Romani eas pro rebus nullius habuisse. Jungant enim res hostium quoad adquisitionem dominii rebus illis, quæ terra, mari cœloque capiuntur, nec non insulæ in mari enatae, & gemmis lapillis in litoribus inuentis 2). Sed quod attinet ad illud ius, quod non didicimus, accepimus, legimus, verum, ut ille ait, ex natura ipsa arripiimus, hauiamus, expressimus, ad quod non docti, sed facti, non instituti sed imbuti sumus: in ea opinione sumus, ut non opus esse credamus hanc adquisitionem inde defendere, ut singamus, per bellum res hostium reddi velut nullius, cum fundamentum proprius allegari possit, & praterea ipsa fictio illa male se habeat.

1) PUFFENDORFF. de J. Nat. & Gent. L. IV. Cap. 6. §. 14. & GROTIUS L III. Cap. 18. 2. addas VOET. ad Tit. π de adquir. Rer. Dom. §. 2 BEIER Post. ad J. pos. 95 not. c. HEINECC. Elem. Jur. Civ. secundum ord. π. P. VI. §. 167.

2) Vide l. 1. §. 1. π. de adquir. vel amitt. possess. WESEMBEC. ad π. Tit. de captiuis & de postlimiis. VINNIVS Commentar. ad §. 17. J. de Rer. Div. & adquir. Rer. Dom. OTTO in Commentar. ad J. §. cod.

beat, atque falso prorsus res hostium pro rebus nullius habentur. Si enim id quod eripitur hosti antea nostrum fuit, ad nostrum semper pertinuit dominium, cum hostis per erectionem ius nostrum interuertere non potuerit: sin id, quod eripitur, hostis fuerit, haec res ideo in eius dominio esse non definit, licet nos propter belli ius eum cogamus, vt id nobis vi praualentibus & armis interim relinquit. Eaenim dominii natura est, vt sine facto nostro res nostra in aliud, vi eam occupantem, non transeat. Deinde, qui possunt res hostium nullius dici, & tamen illæ ab hoste, quantum viribus omnibus licet, defendi, cum in rebus nullius nulli ius sit, alterum vnu carum excludendi, id quod in primis vrget HEINECCIVS<sup>3)</sup>. Porro in rebus nullius locus est regula: Quod nullius est, cedit occupanti. At hic haec regula applicari nequit, cum summo Imperanti, sive ei cuius auspiciis bellum geritur, duntaxat adquiratur, nisi is id alii vel expresse vel tacite permittat & indulget. Et licet dicas, milites occupantes esse solum instrumenta Principis, per quos ipse occupet, & hanc esse rationem, quare res hostiles his non adquirantur: responderi tamen potest, et si miles, vel alias priuatus, expresse pro se ferat, se suo nomine occupare velle, incassum tamen hoc fiet, nec res ideo sibi cessura est. Tandem occupationis bellicæ obiectum sunt res & persona; at qui dici potest, personas esse vel redi per bellum res nullius? qui enim nullius est, suis est, sed hoc de ciubus hostis, cum quo bellum geritur, perperam adfirmaueris. Sin dicas, hoc restringi debere duntaxat ad res; regero, tunc hanc explicationem non vniuersalem esse, nec totum ad-

B 2

qui-

3) In Element. Jur. Nat. L. I. §. 247. \*



quisitionis bellicæ ambitum exhaustire. Nec eos magis hic proficere dixerim, qui ideo res captas in bello pro rebus nullius haberi volunt, quia fugientes hostes eas pro derelictis haberent. Nam, ut alia taceamus, pro derelictis quis unquam habuit ea, quæ ab inuitis vel imprudentibus relinquentur 4)?

#### S. VI.

Cum itaque res hostibus eruptas pro rebus nullius habere non possimus, adeoque deficiat obiectum habile occupationis, sequitur, hanc acquisitionem bellicam perperam ad occupationem referri. Nisi cum VULTEO 1) & aliis terminum occupationis generalius sumere velis, pro quauis adprehensione rei iusta, sola adprehendentis voluntate constante, hancque iterum deinde subdiuidas in captiuitatem, & occupationem in specie sic dictam. Hac tunc duntaxat supponit res nullius; illa vero res alicuius. Et certe in eodem sensu terminum occupationis sumissæ videtur CICERO 2), ubi ait: *Sunt autem priuata nulla natura; sed aut veteri occupatione, ut qui quondam in vacua venerunt; aut victoria ut qui bello positi sunt, aut lege, pactione, conditione, sorte, ex quo sit, ut ager Arpinas Arpinatum dicatur: Tusculanus Tuscanorum.* His verbis, interprete BYNKERSHOEKIO 3), hoc vult CICERO; rerum dominia quari vel occupatione vel conuentione. Occupatione bisariam; aut

rerum

4) Refutat hanc sententiam *Cesar COSTA* in *Ottonis Thesauro Tom. IV.* p. 1171.

1) In *Jurispr. Rom. L. I. Cap. 70.* addé *BACHOV.* ad *Treutler. Vol. II. disp. 20. th. 2. lit. b.* & *LEPSER. spec. 439. med. I. circa fin.*

2) *L. I. de Offic. Cap. 7.*

3) *Diff. de Dominio Maris. Cap. I.*

rērum nullius per adprehensionēm vacuā pōssessionis, aut alicuius, iure videlicet belli: Conuentione rursus bisariam; & reliqua. Quodsi vero hāc displicant, referas hāc adquisitionem bellicam cum aliis 4) vel ad traditionem, vel plane nouum modum inde constitutas, eadem ratione qua supra HVBERVM sex modos adquirendi naturales statuisse diximus. Plane hic modus adquirendi, si talis est, multa singularia habet, de quo deinceps.

## S. VII.

Proximum est, vt quo fundamento nitatur occupatio bellica, proferamus. Scilicet nititur illa *in ipso belli iure* 1) Jus belli definitur alias facultas lādendi hostem quavis ratione, vt ex hoste fiat non hostis 2). Qui enim belli ius habet, & iuris sui persēquendi causa bellum alteri infert vel excipit, is sine dubio omnia facere licite potest, per quā finem belli obtinere potest. Jus belli enim, docente PVFFENDORFFIO 3), infinitum, id est, limitibus nullis est circumscriptum. Iam vero inter media ius suum ab hoste obtinendi, efficacissimum hoc est, si hostis personis rebusque, quibus nocēre possit, vel resistere, spolietur, & per hanc ablationem in eum statum redigatur, vt vel non possit

4) v. HVBER. c. l. n. 17. circa fin. illustr. DARJES Inst. Iurispr. Vniuers. s. 493. Coroll. I.

1) Consentit HEINECCIVS in Element. Iur. Nat. L. I. §. 247. BACHOV. ad TREVTLER. c. l. lit. b. & lit. d. THOMAS. in not. ad I. Tit. de Rer. Div. §. 17 IAC. GABRIELWOLFF. Inst. Iurisprud. Nat. P. II. sect. II. Cap. 10. STRUV. Exerc. XLI §. 18. TITIVS Obs. Lauterb. 1441.

2) APRER. diss. an hosti liceat hostis ciues ad rebellionem sollicitares. s.

3) de Iur. Nat. Gent. & Civ. L. VIII. C. 6. §. 7. adde GVNDLING. Ius Nat. & Gent. C. 9. §. 26.



possit vel nōl sit amplius hostilem animatum ostendere, satisfactionemque debitam præstare cogatur. Hac si vera sunt, vtī sunt, non optis est ad fictionem rerum nullius recurrere, & inde adparet etiam, EVERHARDI OTTONIS 4), Xenophontem & Aristotelem secuti, comparationem belli cum venatione, ingeniosū magis quam verām esse, cum ip̄re principaliori p̄forsū non conueniant ambo. Hac enim circa res nullius versatur; bellum vero circa res quae alicuius sunt.

S. h. VIII. cap. 4

Jam porro inquirendum, an & quatenus occupatio bellicam modus adquirendi sit? Si rem accuratius astimes, plane dicendum est, intuitu occupantis ipsius, hanc occupationem modum adquirendi haud esse. Quid enim? Nonne hosti semper ius est, rem suam a nobis occupatam, de-nuo nobis eripiendi? At alias quod nostrum est, sine iniuria ab alio eripi non potest <sup>1)</sup>. Solidum & firmum ius in res occupatas hostiles per futuram pacem & hostis renuntiationem, adeoque per conuencionem demum, occupans consequitur. Interea possidentur tantum ac defenduntur. At intuitu tertii modus adquirendi est eatenus, ut hic nos tanquam dominos in possessione rerum hosti ereptarum turbare non debeat. Deinde inferius dicetur, eos, qui causam a nobis res hostiles vendentibus habent, tutos esse & dominium adquirere, quod fieri non posset,

nisi

<sup>2)</sup> ad §. 17. I. de Rer. Div.

<sup>1)</sup> Convenit HEINECCIVS ad VINN. §. 17. I. de Rer. Div. THOMAS. in not. ad I. §. 17. de Rer. Divis. KRESS specim. Iurispr. Civ. forens. I. I. Tit. III §. 19. GUNDLING. I. Nat. C. 56. §. 214. sq. nec non IAC. GABRIEL WOLFFE. Institut. Iurispr. Nat. P. II. Scđ. II. Cap. XI. §. 16.

nisi & nos domini fuissentis. Videtur itaque distinguendum esse inter res immobiles & mobiles: illorum intuitu occupatio hæc modus adquirendi non est; horum vero intuitu vtique est, in primis si quæstio ad tertium referatur. Quæ distinctio propter litigia tollenda recepta, hancque ratione habere videtur, quod res mobiles dignosci facile non possint, nec obligatus sit emitor, ut longa perquisitione indaget, cuius res illa sint fuerintque.

## §. IX.

Pendet hinc quæstio spinosa & aspera, an ea immobilia, quæ hosti erupta sunt, durante bello, in tertium non solum bellum, valide alienari & transserri possint? Secundum ea, qua §. anteced. disputauimus, quæstio neganda videtur, & negat eam etiam GVNDLINGIVS<sup>1)</sup>. Praterquam enim quod occupatio bellica ius solum tribuat, res hosti eruptas possidendi atque defendendi, ad finem belli, qui est iniuria vel propulsatio vel reparatio, & futura securitatis cautio, eo melius consequendum, vsque dum in pacificatione de dominio earum conventione tranligatur: videtur etiam eo ipso populus ille, in quem translatio fit, alterum cuius res est, insigniter lacerare. Cum enim ante e., cuius res erupta fuit, licet rem recuperare, quamdiu durabat bellum, nunc per eiusmodi translationem hæc facultas adimetur, & ad rem recuperandam nouo bello opus est. Si ius Gentium consolitus, exempla in utramque partem prostant. Non est qui nesciat vius, quid nostro tempore cum Minorca Insula actuarum sit: quam

Rex

<sup>1)</sup> In Jure Nat. ac Gent. Cap. 36. §. 117. C. 112. addi. Moses, Grund-  
lage des Europäischen Volker Rechts in Kriegszeiten L. II. Cap. 22. §. 5.



Rex Galliæ Anglis sub initium huius belli armis ereptam Hispanis cessisse ex relationibus publicis didicimus. Sed cum quis exitus huius belli inter praefatos summos Reges futurus erit, nondum liqueat, nos quoque hac de re iudicare merito abstinemus. Ut vero alia exempla adseramus, ex historia superioris seculi notum est, Hispania Regem DVNKERKAM ab Anglis, in quos Galli transtulerant, frustra repetuisse, belli iure prætexto. Ex aduerso constat quoque, prædia durante bello ab illis, qui ea hosti eriperant, aliis frustra donata esse. Pertinet hoc quodammodo exemplum Ducis Marleborough, cui ob insignia merita Augustissimus Imperator IOSEPHVS non solum dignitatem S. R. I. Principis contulerat, sed & anno 1705. Principatum Mindelheim Duci & Electori Bauariæ bello ereptum donauerat, at in pace Badensi de plenaria Electoris Bauariæ restitutione conuenérat, indeque factum, ut & hic Principatus eidem restituendus fuerit 2). Quidquid sit, hoc certum est in eius modi casu solidum & firmum ius a futura demum pace expectandum esse. Neque enim Princeps cessionarius plus iuris per eiusmodi cessionem consequi potest, quam ipse cedens habuit, hunc vero ius stabile dominiumque per pacis conuentiōnem demum consequi §. anteced. monuimus.

#### S. X.

Secundum hactenus tradita, occupatio bellica est ius apprehendendi personas & res hostium iure belli competens. Est ergo occupatio bellica vel *personarum* vel *rerum*;

nos

2) Videsis hac de re longiore narrationem apud PFEFFINGER, ad VITRIAK. L. I. Tit. 16. §. 14. p. 159. & in Elect. I. Publ. Tom. VIII. p. 424.

nos in sequentibus de posteriore potissimum tractabimus, de priori adiri potest HERTIVS 1). Ex adlata definitio-  
ne vero primo patet, hanc occupationem ab eo solum  
fieri posse, qui ius belli gerendi habet, nisi quatenus is id  
aliis perniserit. Quale exemplum cernimus in illis, qui  
permisso & auctoritate publica prædatoriam in mari exer-  
cent, (Die Kapers, Freydeuter) & huius intuitu ab Admi-  
ralitatibus codicillos prædatorios accipiunt, nec non in  
iis, qui cum parua manu militares in hostem excursiones  
suscipiunt (auf Partheie ausgehen, Partheygänger), cuius  
facultatis permisso publico indulta effectus hic est, vt non  
solum impune agere, hostemque prosternere & spoliare li-  
ceat, sed vt nec puniri possint in alio forte territorio de-  
prehensi tanquam homicidae & fures 2), imo, vbi etiam in  
manus hostium incident, vt non alio loco quam ceteri mi-  
litites in bellō capti haberri debeant. Contra vbi talis per-  
missio publica deficit, e. g. si rustici consociati hosti insi-  
dientur, qui vocantur Schnaphäne, vel si milites exau-  
ctorati, vel signa deserentes regioni hostili exactiōibus  
graues sint, qui vocantur Marodeurs, facta talia confide-  
rantur vt latrocinia & furta, atque etiam eodem modo pu-  
niuntur 3); nec res ab eiusmodi personis adprehensae ca-  
pientium fiunt, nec proin cum effectu in alios transferri  
possunt, sed dominis semper salua manet vindicatio 4).  
Solis ergo militibus aut quibus id ab Imperante permit-

C

titur,

1) in diff. de Lytro.

2) v. GROTIUS in I. B. &amp; P. L. III. Cap. 4. §. 3. &amp; Cap. 7. §. 7.

3) TITIVS in Obs. Lauterb. 1432 &amp; 1434.

4) FINCKELTHAVS. Observ. præf. 56 & 57. PHILIPPI Vsus  
præf. Inst. L. II. Eclog. 7. n. 6. BINKERSHOEK. Quest. Iur.  
Publ. L. I. Cap. 15. & 17.

titur, hostilitatem exercere licet, & hinc CATO apud CICERO NEMs) negat *ius esse qui miles non sit, pugnare cum hoste.* Nec aliter vslus inter gentes seruat. Sic Bataui anno 1707 eiusmodi emissariam manum gladio & laqueo addixerunt, quæ sine mandato Imperatoris exercitus Gallorum (ohne Ordre) clam se in territorium Batauum insinuauerat, & personam Gallis consiliis suis molestam inde subripere tentauerat. e)

## §. XI.

Porro inde patescit, res omnes, tam mobiles quam res solidi, hosti non solum in iusto prælio, sed & in excursionibus eruptas regulariter non singulis adquiri, sed ei cuius auspicii bellum geritur, & penes quem est ius belli 1). Gerunt enim bellum non singuli milites, sed Respublica vel Princeps per milites, quibus Princeps tanquam instrumentis vtitur, & qui propterea stipendia sua accipiunt, quique res hosti non suo nomine proin sibi adquirere possunt. Plerumque tamen militibus vel ex expressa vel præsumpta Principis concessione res mobiles hostibus eruptas relinqui videmus, ita tamen vt vsu Gentium fere distinguantur res mobiles hostibus priuatis propriæ, a rebus ipsi Reipublicæ hosti propriis, vel ad vsum belli necessariis; illæ duntaxat militibus permittuntur e. g. equi, pecunia priuata, automata argentea, gladii, non vero hæc e. g. ararium belli-

2) L. I de Offic. Cap. XI.

3) v. Moers Grundzüge des Europäischen Volker-Rechts in Kriegszeiten, Anhang p. 353. vbi &amp; plura exempla

4) GRIBNER, Princip. Jurisprud. Nat. L. III. C. 10. §. 2. HERTZ, diff. de Lytro sec. II. §. 2. GUNDLING. Jus Nat. C. 30. §. 228-227. MERENDA Controvers 22. L. II.

bellicum, tormenta bellica, cetera. Quoad eos qui priuato & suo sumptu, mandato & auctoritate Principis bellum faciunt, de quibus §. anteced. res omnis ex conuentione pendet, qua determinatur, quid quantumque eis prædicto loco cedere debeat.

## §. XII.

Ita Jure Naturæ & Gentium. Sed an Jus Romanorum his principiis etiam consentiat nunc videamus. CAIVS 1) ait: quæ ex hostibus capiuntur Jure Gentium statim capientium fieri, atque idem repetit TRIBONIANVS 2) inquietus: Item ea quæ ex hostibus capimus Jure Gentium statim nostra fiunt. Ex philosophia itaque ICtorum Romanorum hæc res non summae potestati, cuius auspiciis bellum geritur, sed priuatis capientibus addici videntur. Quod & magis confirmat LABEO 3) generaliter adserens, si quid bello captum est, in præda est. Hæc loca difficultate haud carere omnes fatentur. HERTIVS 4) per Jus Gentium intelligi censem Jus Gentium domesticum, sive Ciuale plurium populorum, quod mutationem recipit, & textus hos ipsos ita explicat, ut saltim de adquirendi iure per occupationem bellicam generatim loquatur, quod sane apud omnes gentes obtinet: ius vero personarum singulatim iis destinari, & multo minus de singulis militibus intelligi posse negat. Vteremur lubentes hac HERTII sententia nisi scrupulum nobis iniiceret TRIBONIANI locus ex institutionibus citatus. In toto enim illo Titulo fere, quod &

C 2

expref-

1) in l. 5. §. vlt. de adquir. rer. dom.

2) in §. 19. J. de Rer. Div.

3) in l. 28. in pr. de Captiv. &amp; postlimiis.

4) in diss. de Lytro sect II. §. 2.

expresse ibi innuitur <sup>5)</sup>), Jus Gentium pro Jure Naturæ accipitur, & deinde cum ibidem a §. xi. usque ad finem de modis acquirendi, per quos res singulorum fiunt, tractetur, palam fit, & hic de singulis sermonem esse, ut taceamus, verba ipsa horum textuum hanc interpretationem vix admittere.

## §. XIII.

Vt igitur quod nobis videatur exponamus, primum ab hac disputatione eximendos remur *res immobiles*, qua sine dubio etiam Jure Romano in regula ipsi populo, non singulis qui capiunt adquiruntur; cuius rei argumentum, præter alia, hoc ipsum est, quod modo diximus, nempe in Institutionibus agi de modis acquirendi singulorum. At res soli non sunt obiectum habile occupationis talis, qua res in singulorum proprietatem ire potest. Cum enim talis occupatio mera vi constet, & tantum solummodo occupatum censeatur, quantum in potestate nostra & apprehensum tenemus, res immobiles vero non nisi inducto exercitu & præfidiis constitutis teneri possint: patet talem actum in priuatos non cadere. Et aperte POMPONIVS <sup>1)</sup> ait: Publicatur ille ager qui ab hostibus captus est, & inde orta sunt prædia illa stipendiaria ac tributaria, quorum TRIBONIANVS ipse <sup>2)</sup> mentionem facit. De mobilibus ergo rebus citati textus solummodo accipiendi sunt. Nec supra citata lex <sup>28</sup>. de Captiu. & postlimin. de aliis quam mobilibus rebus dicit. Licet enim generaliter

<sup>5)</sup> in §. 11. I. de Rer. Div.

<sup>1)</sup> in l. 20. §. 1. de captiv. & postlimin.

<sup>2)</sup> in §. 40. I. de Rer. Div.

ter loquatur; proxima tamen verba de seruo agentia, eam satis restringunt ad res mobiles. Quid ergo si dicamus hos textus statum democraticum, & in primis statum militiae veteris Romanae supponere, indeque explicandos esse. Certe in hac materia plura alia eiusmodi occurunt, e. g. definitio rerum publicarum, in qua etiam pristina verba, libertatem populi loquentia, retenta sunt, licet monarchia exorta dudum illam aboleuerat. Non nescio vulgo a Dd. Juris Nat. distingui, inter actus belli publicos, & priuatos. Res mobiles in ministerio publico occupatos reipublica & populo addicunt; res mobiles vero extra illud in priuata excursione captas singulis caipientibus addicunt, quam GROTHI distinctionem etiam probant KVLPISIVS 3), VIINNIYS 4), STRAVCHIVS 5), WESTENBERGIVS 6) aliisque. Sed merito eam reprobant PVFFENDORFIVS 7), THOMASIVS 8) & BEIERVS 9), non enim datur actus belli priuatus, qui non auctoritate publica, saltim presumta, nitatur. Actus vero mere priuatus in crimen incidit (§. x.), nec praemium, sed pœnam meretur. Quidquid sit, hoc certum est, Romanos hac in re sibi ipsis non satis constitisse, & pro diuersitate temporum & status, varium ius apud illos obtinuisse. Sic alibi proditum est, bona captiuorum in fiscum cogenda esse 10); qui prædam ab hostibus captam surripuit, lege pe-

C 3

cula-

3) in diss. de priuatis in hostem excursionibus, §. 5.

4) ad §. 17, I. de Rer. Div.

5) Dissert. Justinian. VI §. 34.

6) in Princip. Jur. Rom secundum ord. Insit. Tit. de Rer. Div. pos. 59. 6.

7) de Jure Nat. &amp; Gent. L. VIII. Cap. 6. §. 21.

8) in notis ad Strauch c. l.

9) in Postf. ad I. Tit. de Rer. Div. pos. 49.

10) I. §1, de Jure fisci.



culatus teneri ii); captiuos ab Imperatoribus vendi sole-  
re 12): et apud LIVIVM aliosque historicos legimus, pre-  
dam modo in ararium delatam, modo rotam aut pro parte  
Diis consecratam, modo militibus diuisi, vel pecuni-  
am inde redactam iis donatam esse.

#### §. XIV.

A personis quæ occupare possunt, transimus ad res, quæ  
huic occupationi subiacent. Ex ipsa definitione (§. X.)  
satis intelligitur, res hostium duntaxat huc pertinere,  
adeoque ea quæ res hostium non sunt, licet apud hostes  
in oppidis vel intra præsidia reperiantur, occupari haud  
posse 1). Siue enim res nostra in solo hostili exardescente  
bello iam existant, quia non facile inde auchi & referri  
possunt, æquitas ipsa dictitat, eas publicari non posse; siue  
etiam post bellum iam exortum illuc translata fuerint,  
idem tamen obtinere debet. Jure Gentium enim inter  
duos populos mihi amicos, sed inuicem hostes, cominer-  
cia exercere licet, nisi pacta vel expressa vel tacita, ut fere  
obtinet in mercibus veteris, quæ contrabande vocari solent,  
pro quibus habetur omnis materia, quæ per se, & vti est,  
in bello vsum habet, quoaque hostis ad bellum gerendum  
vel sustinendum indiget e. g. tormenta, arma 2), id quo-  
dammodo impediunt. Quodsi ergo res meas commercii  
causa in oppidum tui hostis detulero, versor in re licita.  
Licet ergo tibi quidem, qua hosti, oppidum eius occupa-

re

1) l. penult. ad legem Iul. peculatorius.

2) l. 4. c. 2. de statu hominum.

3) GROTIUS L. III. C. 6 s. 5. KVLPIS. cit. diff. §. 20. BEIER.  
delin. Jur. Diuin. Natur. Cap. 32. posit. 50. sq.

4) BPNKERSHOEK. Quæst. Juris Publ. L. I. Cap. 20.

5) BPNKERSHOEK. cit. l. cap. 28.

re; sed quod iure res meas, id est amici tui, occupabis 3)? Illud tamen prætermittendum non est, omnia in territorio hostili deprehensa, præsumptione quadam pro rebus hostilibus haberi, donec contrarium probatum fuerit. Non inique ergo a me exiges, ut probem, res de quibus agitur, meas, non hostium esse 4). An vero res hostiles in territorio amicorum existentes occupari possint? difficilior inspectio est. Videtur primo intuitu res simpliciter adfirmanda. Cur enim non permisum esset, res hostiles capere, cum omne quod hostium est, iure belli victori cedat. Et bello semel exerto  
tum certare odiis, tum res rapuisse licebit. Verum cum talis occupatio sine violatione territorii amici fieri non possit, facile patet, quæstionem absconde adfirmari non posse. In praxi fere potentia Domini territorii, qua iniuriam & violentiam territorii vlcisci potest, quæstionem decidet 5).

### §. XV.

Iam accedimus ad tempus, quo adquisitio rerum hosti eruptarum contingit, sive ad punctum quasi & momentum huius acquisitionis. Quaritur nempe, ex quo tempore dominium per occupationem hanc mutetur & res capientium fiant? Vulgo dicitur Jus Romanum distingue-re inter res mobiles & immobiles. Has tunc reipublicæ adquiri, ubi munitionibus ita inclusa sunt, ut veteres domini arceri possint; illas vero capientibus adquiri, ex quo intra præsidia & stationes sunt deductæ. Ait enim POM-

4) GROTIUS de Jure B. & P. L. III. Cap. 6. §. 6.

5) Grundsätze des Europäischen Völker-Rechts in Kriegszeiten. L. II. C. 2.  
§. 2. 20.



PONIVS 1) Postliminii ius est in bello; cum hi qui nobis hostes sunt aliquem ex nostris ceperunt, & intra praesidia sua perduxerunt. Jam vero qui postliminium nouit, nouit etiam, postliminium non esse nisi eorum, quae in hostium dominium transierunt. Inde ergo concludunt: eodem modo rem amittit quo postliminio reddit 2). Pro ratione etiam adlegatur, quia tunc hostis vixius probabilem recuperandi spem amiserit. Ita vulgo. Sed forte tentari posset, annon potius Jure Romano inter personas & res distinguendum, & de his simpliciter adfirmandum sit, quod illico ubi hostis eas tenet adquirantur; de illis vero, quod tunc demum si intra praesidia deductæ sint, capientur sicut. Certe Jus Roman. quando de rebus loquitur, significanter ait: eas statim & proximus capientum fieri 3). Verum mittamus Jus Quiritium. Juuabit nunc potius despicere, quid Jus Naturæ & Gentium stabiliat. Quoad immobilia supra diximus, acquisitionem eorum intuitu capientis, & qui ab hoc causam habent, per pacis conuentiones demum contingere. Questio ergo potissimum remanet de immobilibus intuitu tertii, & de rebus mobilibus. Atqui hic, si ex ratione sola disputare placeat, recte sentire censendi sunt, qui hosti occupanti statim indistincte adquiri opinantur, nec opus esse, ut res in castra vel praesidia sint relatæ. Nam tertius non potest prædam eripere, quamvis in castra non relata, hostis vero quandocunque potest. Et quis, per-

1) in l. 5. §. 1 de captiu. & postlim.

2) GROTIUS L III. Cap. 6. §. 2.

3) v. §. 17. J. de Rer. Div. & L. I. §. 1. de adquir. vel amitt. possess. addde ZIGLER. ad GROT. III. 6. §. WESTENBERG. ad 1. Tit. de Rer. Div. pos. 37. iunct. ad 7. Tit. de captiu. pos. 1.

pergunt, hosti capienti leges præscribet? Arbitrantur itaque, modo memoratæ distinctiones in primis & potissimum in censum venire, quando de portu liminii iure queratur, minime vero intuitu ipsius hostis capientis 4). Jure Gentium vero solet fere Juris Romani dispositio hac in parte obtinere. Certe de nauibus receptum est, ut earum dominum capientibus non ante adquiratur, quam si in portum aliquem, vel ad locum eum, ubi tota classis hostilis stationem habet, deducta sint. His consequenter si fugamus nauem Lusitanam captam ab Algériensibus in medio mare antequam in portum deducta sit, Anglis (posito hos Lusitanis amicos esse, non hostes) vel aliis venditam, vel etiam ab his vi & armis expugnatam esse, dicendum est Lusitanos illam ab Anglis repetrere & vindicare posse; nempe quia Lusitani domini esse nondum defierunt. Quod tamen ita intelligendum esse æquitas dicitat, ut recuperatori merces pro opera & impensa salua sit 5). Alio exemplo huius observationis virilitas demonstrari potest. Finge nauem mercesque Lusitanorum adsecuratas a Batauis esse, finge porro nauem hanc ab Anglis expugnari, sed mox redimi a domino nauis certa pecunia summa. Si redemtio facta est ante deductionem in portum, adsecratores non in solidum tenebuntur, sed ad impensas solum vel seruatium dependendum obligabuntur; si redemtio post deductionem in portum demum contigerit, in solidum tenebuntur, nec quidquam iuris in recuperatam na-

D

uem

4) TITIVS Observ. Lauterb. 1440. GUNDLING. Jus Nat. Cap. 36.

§. 115.

5) BYNKERSHOEK Quest. Jur. Publ. L. I. C. 4.



uem amplius eis supererit, nempe quia magis pro noua  
natis emtione habenda tunc est 6).  
§. XVI. Iustum est enim a  
Cum §. anteced. dictum sit, questionis ibi proposito  
usum maxime se exserere, in postliminij iure, quod tribui-  
rur subditis eius civitatis, ex qua quid occupatum est;  
paucula quendam & de hoc iure adiciendum ducimus.  
Scilicet postliminium est ius, quo persona & res ex ho-  
suum potestate liberata pristinum statum, belli iure subla-  
tum, recipiunt 1). Pater inde duplex postliminium dari,  
personarum alterum, alterum rerum. Nos de posteriori  
duntaxat brevitatis causa, solliciri sumus. Quantum ita-  
que ad res ipsas recuperatas ab hoste attinet, res inamo-  
biles semper, quandoeunque receptas, postliminio redire  
ad priores dominos constat. Haec enim, profligatis &  
deiectis hostibus, non publicantur neque præda cedunt, sed  
pristinis dominis restituuntur, cum æquum sit, ea  
per iniuriam & meram vim hostilem ablata sunt, pristina  
conditioni restitui. Adficari huc etiam potest quod  
IMPP. 2) dicunt de hominibus captiis, & virtute militum  
liberatis: *receptos eos non captos iudicare debemus;* & mili-  
tem nostrum addo: *et Principem, defensorem eorum decet esse,*  
*non dominum.* Et ita tam de iure Romano 3) quam iure  
Nat. 4) obtinet. Imo si rem ex solaratione astimes, im-  
mobili-

6) BYNKERSHOEK. c. I. Cap. 5. & Cap. 25.

2) v. TITIVS in Jur. priv. L. X. Cap. 16. §. 4. add. l. 29 pr. de  
captiv. & postlim.

2) in l. 12. C. de postlim. reuers.

3) v. l. 20. §. 1. π. de captiv.

6) v. CROT. L. III. cap. 6. §. 23.

mobilibus rebus postliminii ne quidem necessarium esse videtur, cum hoc tum demum obtineat, ubi res plene hosti adquisita fuit, iam vero supra dictum est, res immobiles per pacis demum legem hosti plene adquiri. Quoad res mobiles autem, Jus Roman. distinguit inter eas que *ysum in bello præbent*, e. g. naues longæ & onerariae, equi & equæ freni patientes, his postlimium concedebant, exceptis armis & vestibus, quia non sine flagitio amittuntur 5); & inter eas, que *talem ysum non præbent*, de his regulam constitutam habent, eas postliminio non redire, sed in præda esse 6), adeoque manere eorum, qui eas recuperarunt, aut per commercium iustoue titulo comparauerunt. Sed moribus gentium satis constat, hodie discrimen inter res mobiles nullum seruari, nullumque earum dari postliminium. Pro ratione sine dubio est hoc, quod alias infinita litigia ex eiusmodi vindicationibus orirentur 7). Illud vero semper supponendum est, si de postliminii iure disputatio instituatur, ut res mobilis nobis ablata plene hosti quæsita sit. Non enim intelligitur postliminium, nisi earum rerum, quæ in hostium dominium ante venerunt. Hoc ergo deficiente, & rebus e. g. intra præsidia nondum deductis, sed illico a nostris recuperatis nulla quoque de postliminio quæsio esse potest, sed a dominis suis recte vindicantur, nec recuperatori cedunt.

## §. XVII.

5) v. l. 2 & 3. de *Captiu.*6) v. l. 28. de *Captiu.*7) *HVBER.* ad *πτ.* *Tit. de Captiu.* n. 7. *GROTIUS.* L. III. Cap.9. § 15 *BPNKERSHOEK.* *Quæst. I. P. L. I. Cap. 5.*

## §. XVII.

Sed hic subsistendum nobis est. Merebatur quidem nobilis hæc materia ampliorem profundioremque dispectionem, sed tum fines nobis præstituti, tum temporis penuria plura adferre, atque ad specialiora descendere vetant. Tu interim B. L. hæc quæ scripsimus boni consule, & si qua in re forte calamus nimis festinans errauit, hoc in meliorem partem interpretare.

F I N I S.

ERFURT, Diss., 1761/67

SS.

ULB Halle  
004 995 333

3



VDR8



B.I.G.

Black



1762

AD

DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA  
DE  
**MODO ADQVIRENDI**  
PER  
OCCUPATIONEM BELLICAM  
DE QVE EO QVOD CIRCA EVM  
IVSTVM EST.  
• • • • •  
QVAM  
DEO O. M. ADSPIRANTE  
CONSENSV ILLVSTRIS IVRE CONSVLTORVM  
ORDINIS  
P R A E S I D E  
**DN. CONRAD O WILHELM O**  
**STRECKER,**  
I C T O

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS MOGVNTINI CON-  
SILIARIO REGIMINIS, FACVL. T. IVRID. ASSESS. SENIORE,  
PROF. DECRETAL. PVBL. ORDINAR. CIVITATIS ERFORD.  
CONSULE PRIMARIO, NEC NON PRAEFATÆ  
FACVLTATIS DECANO,

PRO CONSEQUENDIS SVMMIS IN VTRQVE  
IVRE HONORIBVS ET PRIVILEGIIS DOCTORALIEBS  
ERVDITORVM EXAMINI  
H. L. Q. C. DIE V. APRIL CI CCLXII.  
SVBMITIT

CHRISTIANVS CHRISTOPHORVS THILO  
TENNSTADIENSIS.

• • • • •  
ERFORDIAE, LITTERIS NONNIANIS, ACAD. TYPOGR.

